

ELEGIA VIII.

DE PUERO JESU

AD AQUILONEM.

AT quæ te in puerum dementia, quis furor egit,
 Sæve Aquilo? o gelida frigidior glacie,
 Quam celsa in Rhodope, aut in nubifero Apennino
 Durat hiems longis aspera frigoribus!
 Num tibi, stat quoniam sic insanire, patentes
 Camporum tractus, num juga, num siluae
 Ingentes defunt? Qua cærulea Amphitrite,
 Quaque pater fluctus explicat Oceanus,
 Cuncta patent. Illic dignam te nactus arenam
 Conare adversis obvius ire Notis,
 Et fluctus propelle, altum & quæcumque per æquor
 Occursant, rapido turbine frange rates:
 Tum male jactatos allide ad littora nautas,
 Ut lubet, aut mediis obrue gurgitibus.
 Parce tamen puer: per luctisonos vagitus
 Obtestor, per suspiria, per lacrimas,
 Infans turgidulis frustra quas fundit ocellis;
 Jugis ut aerio liquitur e lapide,
 Roscidaque adsidue, muscoque adoperta virenti
 Saxa rigans lævi labitur unda pede.
 Ah satis est coeca matris quod conditus alvo
 Pertulit obscuræ tædia longa moræ;
 Cognata satis est quod fastiditus ab urbe,
 Adspectuque procul, colloquioque hominum,
 Desertas pecudum sedes, atque aspera dumis
 Tesqua colit, quæ nix desuper alta cadens